

a Pontifice dirimeretur. Eadem Henrico postulante, res ab 1599
 Offato Cardinali ac Nicolao Brulardo Silerio, regiis legatis,
 Romæ agitata. Clemens cum negotium ad Cardinalium col-
 legium detulisset, ab eo Collegio causa Galliæ Præsulibus de-
 lata: mandata Francisco Jojeusæ, Cardinali; Mutinæ Episco-
 po, Internuntio; Arclatenfi Archiepiscopo dantur. Ii, re co-
 gnita, nullum extitisse inter Henricum III. & Margaretam
 matrimonium pronuntiarunt. Quod sane magnum, & ad tuen-
 dum augendumque Galliæ regnum, & ad reipublicæ christia-
 næ, Italiæque præsertim pacem conservandam, momentum,
 potentissimorum Regum libratæ æqua lance viribus, allatu-
 rum videbatur.

Henr. Re-
 gi & Mar-
 garetæ Va-
 lesiæ matri-
 monium ir-
 ritum pro-
 nuntiatur.

Inter graviorēs hoc anno curas, ea præcipua fuit, ut de
 portubus deque æstuariis, quæ firmissima veluti moenia civi-
 tatem ambirent, Patres cogitarent; quam sane non humana in-
 dustria congesti aggeres, sed tenuissimo in hoc extremo Adria-
 tici sinus recessu assurgentia litora a maritimis tempestatibus
 tutam reddunt. Eorum dorso amplissima æstuaria, quæ, vel ma-
 ri alterno æstu reciprocante, vel fluminum exoneratione oriun-
 tur, imminetia, pro vasta atque inaccessibili fossa sunt. Hæc
 antiquitus adeo patebant, ut illustres in terrarum orbe civita-
 tes earum sinu exciperentur. Aquileja, nobilis reipublicæ Ro-
 manæ colonia, caput orientis in septentrionem tenebat obver-
 sa. Parum aberant Concordia, Opitergium, Altinum, Adria
 a qua nonnulli hujusce sinus nomen deducunt. Ad austrum
 vero clarissima Ravennæ civitate claudebantur, quæ, ut Stra-
 bo refert, in palude sita, cum primum lignea esset, multif-
 que pontium contignationibus compacta; mox aucta, basilicis
 aliisque eximiis substructionibus, quæ romani imperii maje-
 statem referrent, ab Augusto, Tiberio, Trajano, Valentinia-
 no ornata fuerat; tandem a Theoderico, Gothorum Rege,
 Italici regni sedes effecta. Aestuariis humo oppletis, atque
 in continentem redactis, modo tria circiter passuum millia a
 mari distat. Inter varia flumina, quæ in æstuaria influunt,
 septem præcipua in alpibus exorta ingenti aquarum copia per
 varias ambages atque anfractus diducta, in paludes sese ex-
 onerant. Taliaventus ac Liqueta ex Forijulii montibus ma-
 nant, priscaque nomina fere servant; Anaxus (modo Pla-

Venetorum
 æstuario-
 rum descri-
 ptio.

vem